

Appendix. — Europa Nro. 81.

Regnum Mortuorum.

Dialogi politici inter mortuos.

Elysium — Meum. — Die 23. Septembris 1803.

Divisos orbe Britannos.

Horat.

Manes colloquentes:

John Bolingbroke. — Villiam Pitt.

Bolingbroke. — Facile demonstrare possem, te malum duxisse politicum calculum. Parabas vindictam ob amissam Americam.

Pitt. — Quidni? Praehuit ad id Revolutio opportunissimam ansam.

Bolingbroke. — Sed et in puncto Revolutionis malum duxisti calculum; bellum enim, quod breviculum reputabas, in infinitum producitur.

Pitt. — Quis tunc, quaeso, rectum ducere potuisset calculum? A principio Revolutionis universa Europa contra Galliam erat.

Bolingbroke. — Nunc autem universa Europa contra Angliam est. Quanta discrepantia!

Pitt. — Redeamus tantisper ad tempus, quod bellum Americanum praecessit. Assequerisne, curram Americam amiserimus?

Bolingbroke. — Id quidem magno acumine non eget.

Pitt. — Haud quaquam. Audi rem ex fonte authentico. Scies procul dubio, Imperatorem Josephum, et Regem Borussiae Fridericum, aliquot post bellum septennale annos, ad Neostadium in Moravia convenisse, ibique (attende) sibi fidem dedisse, quod emergente Angliam inter, et Galliam bello maritimo, indifferentes manere, omnesque Angliae politicas inspirationes declinare velint. Et steterunt reipsa verbis. Hic conventus fatalis causa erat, quod Anglia in continente nullum bellum contra Galliam excitare poterit, quod ab omnibus Potentiis derelicti, soli bellum maritimum sustinere debuerimus, quod denique Americam amiserimus.

Bolingbroke. — Male ergo Amicæ mi! Similis enim, imo momentosior conventus modo quoque annunciatuſ habetur. Imperator quippe Galliae, et Imperator Russiae Erfordiae conventuri, et — probabilius de interitu Angliae — deliberaturi sunt. Die 24. Septembris Imperator Galliae jam Moguntiae exspectatur; die 22. ejusdem Princeps *Beneventanus* Francofurti erat, vesperique ultro processit; Minister Rerum cum Exteris gerendarum, D. *Champagny*, hac nocte per Francofurtum transivit; Status Secretarius D. *Marot*, et Generalis Divisionalis *Lakussaye* perinde in hoc itinere constituuntur. Omnes hi metam ad unum (Erfordiam) properant. Altera etiam ex parte Minister Russicus Rerum Exterarum, et Commerci, Comes *Nicolaus Romanzoff* die 31. Augusti, concomitantibus eum Status Consiliario *Gervais*, et compluribus Collegii diplomatici Officialibus Petropoli discessit, dieque 8. Augusti Regiomontum advenit. Rursus metam ad eandem, Vinariam nempe, et Erfordiam. Quodsi Congressus Imperatoris Josephi, et Regis Friderici tam infaustus pro Anglia exstitit, quid de praesente Imperatorum Galliae, et Russiae conventu vaticinari licet? — Vereor, mi Villiam, ne tu pessimum duxeris politicum calculum!

Pitt. — Putasne Angliam adeo esse a pace alienam?

Bolingbroke. — Successor tuus *Canning* non minus est pertinax. Cur mediationem Russico — Austriacam post pacificationem Chronopolitanam non acceptavit?

Pitt. — Nota res est, qualiter tunc de pace tractatum sit, sciturque, Ministrum *Canning* ad acceptandam Russiae mediationem paratum omnino fuisse, at voluisse eum simul basim praevis cognoscere, cui pertractatio pacis superstruetur: semper de hac eum quaesivisse, sed nunquam directum responsum obtinuisse; atque his irritis conatibus praecedentibus, oblatam mediationem primum recusavit.

Bolingbroke. — Basis haec, probabilius pacificatio Ambianensis fuisset.

Pitt. — Quam commutata sunt, a tempore pacificationis hujus, omnia!

Bolingbroke. — Aperiam tibi, mi Villiam! sincere, quod sentio. Forsitan nempe in congressu praesenti amborum Imperatorum projectum pacis definietur, Angliae qua ultimum transmittetur, basisque pacis determinate exhibebitur, secundum quam politicam rerum faciem in Europa consistere oportebit. Ego nempe optimam de conventu hoc concepi spem, idque duntaxat opto, ut Minister *Canning*, successor tuus (in politica pertinacia) in futura hac pacis pertractatione tractabilior, minusque pertinax esse velit.

Pitt. — Opto id non minus et ego,

Bolingbroke. — Sed quid, si Canning spem suam in revolutione Hispanica collocaverit, speque hac fretus minus tractabilis fuerit? Suppono tamen eum pro prudentia sua perspecturum, quod Hispania in hoc rerum situ diu subsistere nequeat. Memorant quippe relationes novissimae Lapurdo de 11. Septembris, exercitum Gallicum in procinctu esse, hac enim anni tempestate opportunissimum est tempus bellum in Hispania gerendi. Ad Bilbao cruenta fuit pugna, donec expugnaretur; Insurgentes enim Monasterium S. Ferdinandi muniverunt, illudque ad extremum defenderunt, tandem Galli monasterium hoc succenderunt, quod pluribus diebus arsit, circiterque 800 Insurgentes, et multos Monachorum tumulavit. Agmen Insurgentum 16,000 e Regno Valenciae, Madritum versus proceesit, domosque omnes, et palatia eorum, qui Gallis adhaeserant partim expilavit, partim evertit.

Pitt. — Pergamus nunc ad Charontem, qui advenas ex mundo ad nos transvehit, forte audiemus quidpiam, quid in congressu Imperatorem pertractatur.

Biographia.

Henricus S. John, Viscount de Bolingbroke, celeberrimus Anglus, anno 1672 e veteri prosapia natus, Oxfordi studiis, et imprimis Poësi, et Estheticae operam dedit. Anno 1700 qua Deputatus Civitatis Votton basset in Parlamento locum occupavit, die 20. Aprilis 1704, favore Ducis de Marlborough, ad Secretariatum Rerum bellicarum electus est, cui Anno 1708 valedixit, e. rursus 1710 Status Secretarius denominatus. Hucusque sub nomine *St. John* notus erat, at Anno 1711 dignitatem, et titulum, qua Viscount de Bolingbroke, et Baronis St. John de Lydiard Tregoze eo cum favore obtinuit, ut, si sine haeredibus decederet, dignitate, et titulo hoc Pater ejus cum haeredibus masculis gauderet. Anno 1712 ad Galliam missus, die 8. Augusti Conventionem induciarum effectua vit, estque post reditum a Regina dignitate Locumtenentis Comitatus Essex donatus. Mortua die 1. Augusti 1714 Regina Anna, mox die 31. mensis ejusdem officio Secretarius privatus est, datique sunt ordines, ut omnia scripta ejus inquirerentur, quo audito. Bolingbroke Caletum discessit. Anno sequente per Robertum Valpole, criminis perduellionis accusatus est, cumque citatus non compareret; omnia ejus bona confiscata fuerant. Anno 1716 rursus veniam a Rege consecutus est. In Gallia partim Parisiis, partim ruri existens post mortem consortis suae, viduam Marchionis de Villete, et amitam Dominae de Maintenon duxit divitiis abundantem. An-

no 1725 ratificavit Parlamentum Regis veniam Bolingbrokeio datam, sicque ad Angliam rediit, sed cum dispositiones Regiminis sugillaret, multis inuisus erat. Ultimos ergo vitae annos in Bono suo Battersea vixit, ibique die 13. Novembris 1751 mortuus est. Opera ejus omnia sub titulo: *Lord Bolingbroke's philosophical Works* Londini in 5. Tomis edita sunt.

Quidam Capitaneus praedatoriae navis Anglicanae Baro *Humpesch* rapuit nuper in Insula *Farroe* Regi Daniae 80000 *Thaleros*, quos eidem Proditor quidam Danus detexit, qui eidem omnes circumstantias Insulae adeo clare explicuit, ut plane locum sciverit, ubi certi Contractus asservabantur; coegit civitatem ad extradandam hanc summam, quia secus eidem excidium minabatur, et quod indignius erat, non tantum victis, sed infortunio, morilitati, et religioni proterve nimis illisit; dum enim summam, pro exstruenda Ecclesia destinatam, rapuit, dicebat plane cum scandalo: se qua Capellanum navalem optime nosse debere, divina sub dio tam bene, quemadmodum in Ecclesia celebrari posse, hocque tanto magis, cum frequentes adsint alti montes, quibus homo ad Deum propius accedere potest. — Dum Praepositum *Hentz* spoliavit, dixit ad eum: *Beati sunt pauperes* (forte quia spoliari non possunt) Denique rapiens pecunias, pro fundo scholarum destinatas, dixerat. — Se invenisse ubique bene educatam Juventutem, quae pecuniis pro sui educatione non indigeret.

Septemtrio — Meridies.

Primae cultae nationes habitabant omnes in regionibus meridionalibus, et Septemtrio culturam debet meridionalibus populis Graeciae, Italiae, Galliae, et Hispaniae. Italia debet Graeciae, Graecia Aegypto meridionali; Aegyptus autem Abissinia meridionali. Cultura populorum meridionalium erat productum otii, calidi sanguinis, et irritabilis phantasiae; Cultura contra populorum aquilonarium erat opus necessitatis.
